E. I.

# Heimo in esayam prophetam.

ESAIAS PROPHETA NOBI-
li prosapia ortus filius fuit a-
mos. Non tamen illius qui
in serie duodecim prophetarum tertius habetur.
Unde et apud hebreos aliis litteris scribitur
ille atque alius iste. Sed si quis traditioni iudeorum
assentire voluerit, qui dicunt patres
auos atauosque prophetarum prophetas extitisse
quorum nomina in principio prophetiae
eorum ponuntur, animadvertere poterit amos pa-
trem esaiae prophetam fuisse. Prophetavit vero is-
te esaias eodem tempore quo et osee, iohel
et amos sub regibus videlicet quorum mentio-
nem in exordio libri sui facit. Sub manasse
quoque qui filiam illius habuit uxorem, a quo ac-
cusantibus iudeis serra lignea sectus est, eo quod
dixisset de illis: Audite principes sodomorum
et populus gomorrae; occasionem accipientes
ex eo quod dixerit dominum se vidisse, cum ipse dix-
erit ad moysen: Non enim videbit me homo
et vivet; et quicquid sub uno quoque rege prophe-
tavit diligentissime in suo ipso libro distin-
guere curavit. Fuit autem non solum propheta ob
hoc quia ventura predixit, sed etiam apostolus, quod
latine dicitur missus, quia ipse a domino meruit mitti
dicente sibi illo: quem mittam? Cui cum ille respon-
disset: mitte me, ait ei dominus: Vade ad populum
istum; qui quidem non solum de decem tribubus quae sub
[..]hia rege iuda et hierusalem a prohul rege a-
syriorum vastari iam coeperant. Regnavit ita apud
eas factae filio romeliae. Sed etiam de diversis
gentibus ac regnis multa est locutus. Speci-
aliter tamen de iuda et hierusalem vaticina-
tus, per quam intellegitur tribus beniamin, eo quod
in sorte eius sit sita.

VISIO esaiae filii amos quam vidit super
iudam et hierusalem in diebus oziae, ioathan,
achaz, ezechiae regum iuda. Mos et usitata con-
suetudo est scriptorum qui nobis sacras litteras
ministraverunt, ut quando ab aliquo eorum nar-
ratur aliquid cum de se ipso loquendum est, sic de se
tamquam de aliquo loquatur. Sic fecit moyses
qui dixit: Erat autem moyses vir mitissimus. Non
dixit: eram ego mitissimus; Sic etiam iob: Vir in-
quid erat in terra hus nomine iob. Sic beatus
matheus et iohannes, apostolus quoque paulus.
Sic denique esaias propheta qui noluit dicere:
Visio quam ego esaias vidi, sed sic se inseruit
ordini narrationis suae tamquam rerum gesta-
rum scriptor, non tamquam sui ipsius predicator; Sed
quod de se in primordio suppresso vocabulo loquitur,
in sequentibus iam roboratus fiducialiter loquens
dicit se dominum vidisse. Notandum denique est ac dignum
quesitu: Quare dicat propheta: Visio esaiae filii
amos quam vidit super iudam et hierusalem, cum nullam
mox subinferat huiuscemodi visionem qua vidit
danihel, neque dicat quid viderit, sed statim sub-
dit inquiens: Audi caelum et auribus percipe

1
G. H. HOFBIBLIOTHEK KARLSRUHE

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK HEIDELBERG · BLB Badische Landesbibliothek · HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen · Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation · Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg65/0005